

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Academiae Kiloniensis Proreector et Senatus orationem
solemnam Augustissimi Regis Christiani VII natali die 29.
Januarii 1798 habendam indicunt. De Gestu Veterum
Scenico Observationes**

Baden, Torkel

Kiliae Holsatorum, [1798?]

VD18 13382748

Leno.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8303

Leno.

Lenonem uti moribus detestabilem, ita specie deformem comicus scriptor proposuit. Morum turpitudinem cum actiones dictaque hominis in scena evincunt, tum summatim absolvit Plautus⁸¹⁾:

Daemon. Quis istic est, qui Deos tam parvipendit?
 Trachal. Fraudis, sceleris, parricidii, perjurii plenus,
 Legirupa impudens, impurus, inverecundissimus;
 Uno verbo absolvam, leno'st; quid illum porro praedicem?

Hisce moribus designandis, ecqua species aptior, quam illa de Museo Borgiano Personae, cuius foede prominens labium spectatur corpusque supra modum ventriosum et simul procaci fastu manibus retroactis⁸²⁾ projectum. Adde caput glabrum, oculosque horride depresso et conditos: scias durum illum te manibus contrectare lenonem, juvenum contumelias perpeti servorumque injurias devorare solitum. Hanc simulacri rationem etsi nulla subtilior descriptio et imago poetarum comico rum explicet: magna tamen ex parte, qui confirmet, lenonem habemus Cappodocem, et qui huic opinione aegro insultat, Palinurum⁸³⁾. Queritur ille solus:

Valetudo decrescit, adcrescit labor.

Nam jam quasi Zona liene cinctus ambulo.

Geminos in ventre habere videor filios.

Nihil metuo, nisi ne medius disrumpar miser.

Hic autem, conspecto lenone, interrogat anceps:

Qui hic est homo

Cum collativo ventre atque oculis herbeis?

⁸¹⁾ Rudens III. 2. v. 36 seq.

⁸²⁾ compar. Engel I. pag. 112 Fig. 5.

⁸³⁾ Curculio II. 1. v. 4 seq.

D



De forma novi, de colore non queo
Novisse. Jamjam novi: Leno est Cappadox.

De mulieribus scenicis.

Mulierum scenicarum nullum memorabiliorem gestum novimus, nisi quod nuntio aut alia quacunque re exterritae, subsilire reperiuntur, animique paene deliquum pati⁸⁴⁾). Plus illae quoque quam viri, argutiis digitorum indulgent, gestumque maxime communem eum praeferunt, quo exprobrantes arguentesve medium digitum in pollicem contrahunt explicitis tribus.

Foeminearum partium ea tenuitas olim in scena obtinuit, quae uti Personae inimica, gestum Scenicarum angustis finibus cohiberet. Puellarum quidem liberalium in palliata Comoedia nulla neque persona neque oratio in proscenio inducitur, praeter invocationem Junonis Lucinae a parturientibus, quae ipsa quoque post scenam fieri solet⁸⁵⁾). Quae observatio, et si ad omnes Comicos haud porrigenda⁸⁶⁾, in Terentium certe convenire putanda est. Matronarum vero ancillarumque brevior mora rariorque auditur vox in scena, angustiorem quoque his campum vulgo fors dedit, quam in quo excurrere virtus corporis cognoscique possit.

84) vid. Mysis per Andriam.

85) Donat. Praefat. ad Andriam. Idem ad Andriam III. 2. compar. Aulularia Plauti, IV. 7.

86) Palaestram puellam liberalem scimus ex Rudenti Plauti, haud infrequentius, quam caeteri personati, in proscenio comparentem, ut quae libere, nec secus, ac reliqui agentes, abeat redeatque, diverbio intersit, verbosiusque quam caeteri omnes, secum colloquatur, I. 3. Quae res indicio est, animadversionem veteris Grammatici, qua Terentii morem proprię spectaverit, de Comicis in genere intellectam, communiter extulisse mangones, quales expertum Donati textum norunt omnes.

